

05

A

1459





H
I

W



THEORIA METAPHYSICA
Causæ & Causati,

Quam

JUVANTE SUMMA SAPIENTIA
In Illustri Academia VVittebergenſi

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi atq; Excellentissimi

Dn. M. JOHANNIS SCHARFII

Logicæ ac Metaphys. Professoris celeberrimi, Præceptoris, Promotoris atque Fautoris sui omni observantiæ cultu prosequendi,

Publicè discutiendam proponit

BALTHASAR MEISNERUS
WITTEBERGENSIS,

Ad diem 17. Martii horis antemerid.

In Auditorio Majori.

VVITTEBERGÆ

Typis AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXI.

THEORIA METAPHYSICA

GAULZE & CASPER

IN HALLA ACADEMIA VINDOBONENSIS



50 A 1459

BALHARSAK MESSNER

Typis Amrosii Rothi Acti Typogr.
ANNO MDCXXXI





AUSPICE CHRISTO

Περὶ αὐλίου.



Gregiam Metaphysicæ vel necessitatem vel utilitatem exponere meditantem, citius, meo quidem iudicio, dies quàm verborum series deficeret. Necessitas enim cum utilitate & utilitas cum necessitate quasi certamen quoddam in iisse videntur, adeò ut non solum intra Philosophiæ pomœria regnare attentent, sed altiùs sese elevent, & Theologiæ etiam sua officia obferre non dubitent. Hâc necessitate, hâc utilitate velut œstris stimulati, ex primæ huius Philosophiæ meditullio materiam maximè necessariam maximeq; utilem contemplari pronâ trahimur libidine. Est ea de Causa & Causato, cuius notitiâ sine veritatis jactura tunc carebunt eruditi, cum sine sanitatis periculo Sole & Sale privabuntur mortales. Ne verò jungamus quadrata rotundis, quinque constituemus membra, quorum 1. erit de Causis in genere. 2. de Materia. 3. de Forma. 4. de Efficiente. 5. de Fine. In singulis verò membris dabimus 1. Theses. 2. Axiomata. **DEUS** annuat ausis.

A 2

MEM-

MEMBRUM PRIMUM
De
CAUSIS IN GENERE.

THESIS I.

In limine verò Theoriæ statim resecanda venit Homonymia Causæ, cum non significare unum quid sit nihil significare. libr. 3. Metaph. c. 4.

II. Sumitur itaque vox Causæ tripliciter: 1. latissimè & vulgariter, prout cum principio recurrit. Quo sensu Aristotelici privationem faciunt Causam. Hinc 4. Metaph. c. 2. ita Aristoteles: principium & causa ita ad invicem affecta sunt, sicut Ens & Unum, quorum mutuum iter esse est notissimum. 2. Sumitur idem vocabulum strictissimè, prout cum causa Efficiente convertitur. In hoc significato capit Aristoteles libr. 3. de anima c. 5. text. 17. quando causam vocat eam quæ habet vim efficiendi, eamq; materiæ contra distinguit. 3. Sumitur in medio modo, prout notat principium obtinens respectum ad causatum, eamq; ratione cum quatuor causarum generibus recurrit. Stat hinc significatio ultima.

III. Jam ad ipsam Theoriam Membri primi, quod est de Causa & Causato in genere, ut nos ritè accingamus, consideranda sunt 1. Essentia. 2. divisiones & modi varii Causarum in genere.

IV. Essentiam exhibet descriptio sequens: Causa est principium importans influxum ad esse causati.

V. Principium in hac definitione loco generis ponitur. Ratio, quia est latius & communius, est propinquius, immediatiusq; causæ convenit.

VI. Est verò principium latius causâ ratione ambitûs: quia omnis causa est principium, sed non contrâ. Sic terminus à quo motûs dicitur principium motûs, nec tamen causa ejusdem; filius primogenitus est principium sequentium, non tamen causa eorundem.

VII. Differentiæ loco est: importans influxum ad esse cau-
fati. Hæc enim causæ est formalitas, ut influat in causatum, quo
sine influxu causa ne fieri quidem potest.

VIII. Et talis influxus vocatur aliàs Causatio & Causalitas,
quæ definitur influxus talis, quo quævis causa in suo genere actu
influit ad effectum. Sic causalitas Efficientis est, productio rei:
Finis, motio efficientis Metaphorica: Materiæ, receptio Formæ:
Formæ actuatio Materiæ &c.

IX. 2. Modi seu distinctiones Causæ in genere sunt plurimæ:
damus sequentes, idq; brevissimè.

X. 1. Causa alia est per se; alia per accidens. Causa per se
est principium, à quo directè pendet effectus. v. g. causa per se
Adami fuit Deus, hominis generati homo &c. Causa per acci-
dens est principium, à quo indirectè & nullâ necessitate pendet
effectus, v. g. causa per accidens bonarum legum sunt mali mo-
res, inventionis thesauri fossio terræ &c.

XI. Ad hoc posterius exemplum refert Philosophus Fortu-
nam & Casum, illam quidem in hominibus, hunc verò in brutis
ponens. Illam definit causam per accidens, in iis qui operantur
ob aliquem finem ex electione neque semper neque ut plurimum,
libr. 5. Phys. ἀνεγείσ. c. 5. t. 52. Hunc ibidem circumscribit cau-
sam per accidens, in iis quæ operantur ob aliquem finem, neque
semper, neque ut plurimum, & absq; consilio. d. I.

XII. 2. Causa alia est Prima; alia Secunda.

XIII. Illa dupliciter describitur: 1. quæ suprema est & ἀπλῶς
prima, quando à causis descendimus ad effecta. Sic solus DEUS
causa prima est, quia ab ipso omnes causæ inferiores dependent
in agendo. 2. quæ κατὰ ἴν prima est, quando ab effectu ad cau-
sas ascendimus. v. g. causa prima Nutritionis est Vita &c.

XIV. Secunda causa quomodo describatur, elucescit ex
descriptionibus Causæ Primæ. Nempe Causa secunda est 1. illa
quæ media & infima est, quando à causis descendimus ad effecta.
Sic causæ secundæ hominis sunt Sol & homo, inquit Aristoteles:
& omnes causæ particulares respectu supremi motoris sunt &
dicuntur secundæ causæ. 2. illa, quæ non est media nec infima,
quando

quando ab effectu ad causas adscendimus. Sic Sol & Deus sunt causæ secundæ hominis: & omnes causæ respectu immediatæ & infimæ sunt & dicuntur causæ secundæ.

XV. 3. Causa alia est Universalis; alia Particularis. Illa est, quæ ad unum & certum effectum determinata non est. Sic Deus, Sol & Astra sunt causæ universales hominis generati. Ratio, quia etiam concurrunt Deus, Sol & Astra ad productionem leonis, canis, bovis &c. Hæc est, quæ ad unum & certum effectum determinata est. Sic homo est causa particularis hominis. Ratio, quia homo amplius non concurrat ad generationem leonis, canis, bovis &c.

XVI. 4. Causa alia est Remota; alia Proxima. Illa est, quæ intervenientibus aliis effectum tangit & producit. v.g. Sol est causa remota hominis. Ratio, quia adhuc interveniunt causæ aliæ propinquiores, ut anima, Mater & foemina. Hæc est, quæ non intervenientibus aliis effectum tangit & producit. v.g. homo est causa proxima hominis. Ratio, quia ibi non interveniunt causæ aliæ.

XVII. Causa proxima vel est simpliciter talis, vel saltem in suo genere proxima. Illa est, propter quam simpliciter est effectus, v.g. si quis proficiscatur Wittebergam ut litteras discat, causa simpliciter proxima illius profectiois est eruditionis acquisitio. Hæc est, propter quam simpliciter non est effectus, sed tamen inter sui ordinis causas est proxima effectui, eumq; maximè juvat. v.g. si quis proficiscatur Wittebergam ut litteras discat, causæ in suo genere proximæ sunt pedes.

XVIII. 5. Causa alia est reverà Causa; alia sine qua non. Illa est, quæ reipsâ aliquid in effectu producendo agit, aut pars rei est, quæ constituitur. v.g. chirurgus reverà est causa sanati vulneris. Hæc est, quæ reipsâ nihil agit, nec est pars constituens, sed saltem quiddam, sine quo non fieret effectus. v.g. remotio puris est causa sine qua non sanati vulneris &c.

XIX. 6. Causa alia est Adæquata; alia Inadæquata. Illa est, quæ cum effectu suo recurrit, & totalem ejus rationem continet. v.g. adæquata risibilitatis causa est rationalitas. Hæc est, quæ cum effectu suo non recurrit, & partialem ejus rationem continet. v.g. inadæquata risibilitatis causa est animal.

XX. 7. Cau-

XX. 7. Causæ etiam Aristoteli aliæ sunt Conjunctæ; aliæ simplices. Illæ sunt, quando causa per se & causa per accidens conjunguntur. v. g. pictor Apelles pixit tonitrua. Hæ sunt, quæ absolute & simpliciter proferuntur. v. g. pictor pixit tonitrua, Apelles pixit tonitrua.

XXI. 8. Causæ porro aliæ sunt Actu; aliæ Potentiâ. Illæ sunt, quæ actu agunt & effectum producant. v. g. Medicus sanans actu est causa sanationis. Hæ sunt, quæ actu effectum non producant, potentiam tamè ad illum important. v. g. Medicus otiosus potentiâ est causa sanationis.

XXII. 9. Tandem Causæ vel sunt Internæ vel Externæ. Illæ sunt, quæ essentiam rei ingrediuntur. Hæ sunt, quæ essentiam non ingrediuntur, sed extra eandem existunt. Illæ sunt Materia & Forma; Hæ Efficiens & Finis.

XXIII. Hanc ultimam maximè observabimus, eandemq; in sequentibus aliquantò accuratiùs pensitabimus, ubi hæc quatuor causarum genera penitioribus mentis oculis introspiciemus.

XXIV. Hactenus de causis in genere: Illud, quod à causis originem trahit, vocatur aliàs Causatum, & definitur principiatum à causa dependens. Seu: Res causata est; quæ constat causâ. v. g. homo est causatum, quia à Deo dependet, seu quia ab ipso suum esse habet.

XXV. Dividitur etiam Causatum eodem modo, ut Causa, ita ut quatenus aliquid dependeat vel ab Efficiente, vel à Materia, vel à Fine, diversimodè dicatur nunc Effectum, nunc Materialum, nunc Formatum, nunc Finitum &c. De quibus omnibus in progressu. Et hæc quæ theses. Sequuntur

AXIOMATA.

I.

Causas considerare est Metaphysici. Licet enim Physicus etiam de Causis disputet: tamen ista consideratio nimis est contracta, limitata & specialis; ratio autem causæ universalior est & abstractior, ideoque propria ejus consideratio ad Metaphysi-

physicum pertinet. Distinguendum itaque est inter actum exercitum & signatum. Causæ in actu exercito, materialiter & concretè seu in momento secundo considerantur in diversis disciplinis, imò in omnibus fermè, licèt sub diversa formalitate. Sic Logicus considerat causas ὡς νοητῶς & intentionaliter: Physicus easdem ad corpus naturale contrahit: Ethicus ad virtutes applicat, & sic consequenter. Verùm Causæ in actu signato, abstractè & in momento primo seu in natura generalissima considerantur à solo Metaphysico, quod patet, quia ipsa ratio causæ seu causalitas aliquem entis gradum participat.

II.

Ad unum effectum possunt plures causæ primæ concurrere. Sic idem effectus potest proficisci à primâ causâ simpliciter, quæ est Deus & à prima causa κατὰ τι, ubi ab effectu ad causas adscendimus, v. g. ad productionem hominis concurrunt Deus, concurrunt Sol, concurrunt mas & foemina tanquam causæ proximæ ac sociæ. Notandum tamen hîc est, quòd possint ad unum effectum concurrere causæ plures, quæ sint una simpliciter prima causa conjunctim. Sic Tres Personæ Divinitatis sunt tres personæ inter se distinctæ, ita ut una non sit altera: & tamen conjunctim ceu una prima Causa creârunt Mundum.

III.

Nihil est causa suiipsius. Ratio, quia aliàs idem simul esset & non-esset, cùm id quod nondum est ageret & influeret. v. g. homo non est causa suiipsius, calceus non est causa suiipsius, nec leo sibiipsi dat esse. Tenendum tamen est, dictum axioma intelligi in sensu positivo, ita ut nihil semetipsi det esse; non verò in sensu negativo. Ratio, quia scimus esse aliquod ens quod non est ab alio, sed à seipso, quod est Deus gloriosus, qui est supremus, nec ullam recognoscit causam, à qua esse habeat & dependeat.

IV.

Causa est nobilior suo effectu. Sic Deus est causa hominis, unde tantâ gaudet perfectione, ut si conferantur ad invicem, homo non solùm mutilus & mancus sit, sed etiam nihil, & si dicere fas sit,

fas sit, minus quàm nihil, inquit subtilissimus Scaliger. Sed notandum est, dicta hæc omnia intelligenda esse de causa Æquivoca, quæ semper plus perfectionis in se includit quàm effectus ab ipsa productus. Aliter verò se res habet de Causa Univoca: hæc enim ratione majorem nobilitatem non habet Pater quàm Filius, gallus gallinaceus quàm Gallina &c. 2. Distinguendum etiam est inter Causas Internas seorsim sumtas, & inter easdem conjunctim acceptatas. Causæ internæ conjunctim sumptæ non habent majorem nobilitatem quàm effectus, sed parem. v. gr. anima rationalis & corpus humanum (conjunctim sumptæ) non sunt nobiliores ipso homine: compositum non est ignobilius materiâ & formâ, si jungantur &c. Causæ verò Internæ seorsim acceptæ sunt ignobiliores Causato. v. g. Homo est præstantior Animâ Rationali. Ratio, quia quicquid perfectionis est in Animâ Rationali, id includit homo: & præter perfectionem istam etiam includit perfectionem corporis. 3. Discrimen quoque causarum Instrumentalium & Principalium sedulò erit observandum. Nam Instrumentales Causæ sunt ut plurimum ignobiliores ipso causato. v. g. corpus humanum perfectius est Calore ceu instrumento productionis. Dico: ut plurimum. Nam sæpe instrumenta & effectus recurrunt, ita ut in perfectionem identitate consistant. v. gr. malleus est instrumentum quo alius producit malleus, & tamen uterq; eadem præditus est perfectione.

V.

Causa est notior causato. Scilicet naturâ suâ & cognitione distinctâ. Ratio, quia effectus dependet à causa in esse, ergò etiam in cognosci, cum omne principium essendi, etiam sit principium cognoscendi, licet non contrâ. Sic anima rationalis naturâ suâ & distinctè notior est effecto scilicet homine. Econtrâ autem certum est, omnem nostram intellectionem & notitiam incipere à sensibus: cum ergò nobis effectus semper sint propiores Causis, dispalescit hinc, quòd effectus nobis sint notiores, licet notitiâ confusâ. Sic Mundus nobis notior est Deo, utpote sensibus obviis.

VI.

Causa est prior Causato. Ut sensus hujus Axiomatis rectè appareat, Dist. erit inter prioritatem naturæ, temporis & dignitatis. Ista est, quæ in naturali essendi ordine; illa, quæ in duratione & antiquitate; hæc, quæ in dignitate antecedit. Dicimus ergò 1. Causa est prior Causato prioritate naturæ. Ratio, quia ibi naturali essendi ordine non convertitur ratio subsistendi. v. g. Posito numero binario, ternario, quaternario &c. ponitur unitas; non contrà: positâ unitate ponitur numerus binarius, ternarius &c. Sic posito accidente ponitur substantia, non contrà. 2. Causa non semper prior est causato prioritate temporis. Ratio, quia potest aliud esse antiquius. Sic ludunt adversarii, quando dicunt: fides non est causa justificationis. Cur? quia fides non est prior justificatione Est enim utique prior, licet non tempore, tamen natatâ. Idem est, ac si vellem dicere: Sol non est causa lucis. Ratio, quia tempore prior non est luce. Ἀποπov. 3. Causa est prior causato prioritate dignitatis. Sic Rex in Rep. prior esse dicitur, Pater filio, dominus servo &c.

VII.

Positâ Causâ ponitur Causatum. Scil. positâ causâ adæquatâ: non verò inadæquatâ. Sic valet: Quicquid est rationale, est risibile. Ratio, quia rationalitas est adæquata causa risibilitatis. Non valet: Quicquid est animal, est risibile. Ratio est in prompta, quia animal est causa inadæquata. 2. Positâ causâ naturali & particulari: non verò liberâ & universali. Ibi enim positâ causâ in actu primo, ponitur ea etiam in actu secundo, præsentibus omnibus ad agendum requisitis, nulloq; impediante. Sic posito Sole ponitur illuminatio: posito igne ponitur calefactio & combustio: posito frigore ponitur frigefactio &c. Hic verò ubi causæ sunt liberæ & universales, vel positæ saltem in esse absoluto, causatum non ponitur. Sic posito DEO ab æterno, non ponitur Mundus ab æterno: posito Sole tempore hyberno non ponuntur ranæ tempore hyberno &c.

VIII.

Sublatâ causâ tollitur causatum. Scil. iterum causa adæquata

æquata debet poni vel tolli. Sic valet: rationalitas est causa ad-
æquata risibilitatis: ergò sublatâ rationalitate in homine, tolli-
tur etiam risibilitas. Deinde Dist. est inter effectum, qui à sua
causa dependet in esse & in fieri simul, & inter istum, qui saltem
in fieri à causa dependet. De illo axioma non procedit, licèt de
hoc. Sic sublatis omnibus artificibus nulla domus fit. Ratio,
quia ut effectus fiat, omnes causæ, sive sint remotæ sive proximæ,
sive universales, sive particulares, necessariæ sunt. Contrà cum
effectus jam productus possit sæpe permanere quoad esse, licèt
causa deficiat, nec amplius supersit; patet, quòd sublatâ causâ
non statim tollatur causatum quoad esse, licèt quoad fieri. Sic
mori potest architectus salvâ & illasâ domo.

IX.

Qualis Causa, tale Causatum. Sunt qui Canonem hunc
nostrum, qui tamen ipsâ luce meridianâ clarior & verior est, la-
befactare talibus conantur arietibus:

Qualis Causa, tale Causatum.

DEUS qui est causa hominis est infinitus.

E. & homo erit infinitus.

2.

Qualis Causa, tale Causatum.

Pater est pius, doctus, modestus, sanus &c.

E. & Filius erit talis.

3.

Qualis Causa, tale Causatum.

Pater est regeneratus ex aqua & spiritu.

E. & Filius.

Verùm hæc argumenta nos parùm tangunt. Ad primum enim
Dist. est inter Causam Univocam & Æquivocam. Qualis Causa,
tale Causatum, si respiciamus ad causam Univocam; at DEUS
est causa hominis non Univoca, sed Æquivoca. Ratio, quia ma-
jorem nobilitatem habet quàm homo. Ad secundum Distinguo
inter prædicata accidentalialia seu contingentia, & essentialialia seu
necessaria. Qualis Causa, tale Causatum, si respiciamus iterum
prædicata essentialialia, non accidentalialia; at Patrem esse pium, do-

B 2

ctum,

Etum, modestum, sanum &c. sunt attributa accidentalia, unde eorundem propagatio in filios non est necessaria. Ad tertium sciendum est, causam esse pensitandam non in latitudine essentiae seu secundum naturam totalitatem: sed in sphaera activitatis seu secundum suam causalitatem. Unde dicunt: Parentes non generant secundum primitias novitatis, sed secundum reliquias vetustatis.

X.

Nihil fit sine causa. Quicquid enim fit, à quadam causa efficiente & alicujus gratia fit. Sic calceus fit à sutore & propter pedum munitionem. Nihilominus tamen patitur Canon praesens instantiam; posset enim quis sic argumentari:

Nihil fit sine causa.

Angeli fiunt.

Ergò, & p. c. etiam constant materia & forma.

Item: Nihil fit sine causa.

Forma fit.

Ergò, & p. c. non saltem habet efficientem & finem, sed etiam materiam.

At salva res est, si modò Canon datus ritè accipiatur. Nam nihil fit sine causa Externâ: potest tamen aliquid fieri sine causa Internâ, hoc est materia & forma: atque sic ignoratio elenchi apertè committitur.

XI.

Sine cognitione causae rem velle cognoscere, est tempus perdere. Dist. hîc est inter cognitionem distinctam & confusam. Illa est, quando res concipitur per principia sua essentialia, quae rei sunt prima & ex quibus immediatè constat. Haec est, quando res latiori quâdam ratione cognoscitur per ea quae rei quidem conveniunt, rem tamen vel immediatè non constituunt, vel re constitutâ sunt posteriora. Cognitione distinctâ non possumus progredi sine causis. v. g. hominem non possumus distinctè cognoscere, nisi cognitâ animâ Rationali & corpore humano.

mano. Confusâ verò notitiâ rem utiq; sine causis cognoscimus.
v. g. imperfectè possumus hominem etiam cognoscere sine cau-
sis, quatenus novimus, quòd sit substantia, quòd sit ens &c. No-
tandum tamen dictâ hactenus esse intelligenda de rebus causam
habentibus: ubi verò ens quoddam causas planè non habet, et-
iam per causas cognosci nequit. v. g. principia prima sine causis
cognoscuntur: sic etiam Deus per causas non cognoscitur, cum
causas omnes ex sua natura respuat.

XII.

Nihil est in effectu, quod non existat in suis causis. Ratio,
quia quicquid causa non habet, non potest causato communica-
re, cum quod quis ipse non habet, non possit alteri dare atque
elargiri. Scil. est aliquando in effectu eminenter. 2. effectivè.
3. mediatè & consequenter. 4. potentialiter. 5. perfectiona-
liter. Eminenter, ut sensus sit: Non est necessarium, ut quod
alteri inest, semper illi insit formaliter, sed satis est, si adsit emi-
nenter. v. g. Deus dat creaturis corporeitatem & sensum &c. nec
tamen ista in se continet formaliter; verùm eminenter. 2. Effe-
ctivè, ut sensus sit: Non est necessarium, ut quod alteri inest, sem-
per illi in sit subjectivè, sed satis est, si adsit effectivè. v. g. Sol cale-
facit, & cos acuit: nec tamen calefactio est in Sole subjectivè,
nec acumen subjectivè inhæret coti. 3. Mediatè, ut sensus sit:
Non est necessarium, ut quod alteri inest, illi perpetuò insit im-
mediatè, sed satis est, si adsit mediate. v. g. ignis liquefacit ceram,
nec tamen igni inest liquefactio immediatè, sed consequenter.
4. Potentialiter, ut sensus sit: Non est necessarium, ut quod al-
teri inest, illi semper insit actu, sed satis est si adsit potentiâ. v. g.
Materia & forma dat effectui esse compositum: nec tamen actu
habet esse compositum, sed potentiâ. 5. perfectionaliter, ut sen-
sus sit: Non est necessarium, ut quod alteri dat imperfectionem,
illam ipsam in se contineat. v. g. Pater generat filium mo-
noculum, gibbum &c. nec tamen ipse Pa-
ter talis est.

MEMBRUM SECUNDUM
De
MATERIA.

THESIS

XXVI. Et hinc ressecanda est Homonymia, quæ triplex potissimum: Sumitur enim Materia vel latissimè, vel strictius, vel strictissimè. Latè sumitur pro potentiali quovis, & ab alio aliquo modo determinari & perfici apto. v.g. genus dicitur materia per differentiam determinabilis & perfectibilis. Strictius accipitur pro objecto facultatum. v.g. visus materia est color, auditus sonus, olfactus odor, intellectus verum, voluntatis bonum &c. Strictissimè accipitur pro materiâ substantiali & principio interno. v.g. Cælum constat materiâ & formâ, homo constat corpore humano & Animâ Rationali &c.

XXVII. In hac ultima acceptione definit Aristoteles materiam libr. 4. Metaph. cap. 2. quod sit id, ex quo quippiam fit, eo pacto ut insit. Sic materiam scamni vocat lignum, materiam mistorum 4. Elementa &c.

XXVIII. Duplicem materiæ causalitatem nobis ostendit data definitio. Prior est, ut ex materia fiat aliquid, quod ex hypothesis Aristotelicorum ita explicatur: ut forma educatur è potentia materiæ, & in illa ceu subjecto recipiatur. Posterior est, ut materia insit, hoc est, ut in re genita seu composito tanquam pars inhæreat.

XXIX. Hinc dicunt duplicem materiæ effectum esse: Formam & Compositum. Illius causa est in fieri tanquam ex potentia materiæ eductæ; hujus in existendo. Hæ duæ causalitates unâ fiunt actione & ita sunt subordinatæ, ut Materia recipiendo formam simul sit materia & pars compositi.

XXX. Atque hinc patet, quod phrasîs illa (ex aliquo fieri) non accipiatur 1. pro A vel AB, quomodo ex efficiente dicitur esse effectus; nec 2. prout ex partibus totum per compositionem, & contra ex toto partes per resolutionem esse dicuntur; nec 3. prout

prout ex fine finitum; nec 4. prout ex termino à quo terminus ad quem per successionem fit: sed 5. propriè, prout aliquid tanquam materiatum ex materia, ita ut insit, fieri dicitur.

XXXI. Et materia latissimè patet, ita ut ejus plurimi dentur modi & divisiones subdivisionesque: notabimus unicam, eamque præcipuam, quæ æquivocè dividitur in Materiam ex qua, in qua & circa quam.

XXXII. Materia ex qua est principium substantiale passivum, unde aliquid fit. v. g. materia ex qua mixtorum sunt quatuor elementa, mensæ lignum &c. In qua est subjectum, cui accidentia in hæ sive in sunt. v. g. materia in qua intellectus est anima rationalis, scil. in Anima Rationali in hæ sive inest intellectus &c. Circa quam est objectum potentiæ aut scientiæ. v. g. materia circa quam intellectus est verum, Physicæ corpus naturale, quatenus tale &c.

XXXIII. Subdividitur materia ex qua in varias species: 1. in materiam primam & secundam. Illa est subjectum primum uniuscujusque, ex quo fit aliquid cum insit non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc redit ultimum, definitore Philosopho libr. 1. Phys. ἀπρῶσ. text. 82. Hæc est subjectum secundum certæ & determinatæ rei, ex quo illa fit, & in quod ea resolvitur, sed non ultimò. v. g. corpus humanum est materia secunda hominis &c. De duplici hac materia fusiùs & ulterius præcipiunt Physici.

XXXIV. 2. Porrò Materia ex qua alia est Transiens; alia Permanens. Illa est, quæ in productione compositi perit. v. g. materia transiens in generatione hominis est semen, in generatione pulli ovum, in productione aceti vinum &c. Hæc est, quæ totam essentiæ naturam integritatemque retinet, & illam ad constitutionem compositi ceu partem essentialem confert. v. g. materia permanens annuli est aurum, domûs ligna, lapides & cæmentum &c.

XXXV. 3. Materia ex qua dividitur in Propinquam & Remotam. Illa est, quæ proximè à forma specifica informatur. v. g. materia propinqua animalis est corpus organicum &c. Hæc est, quæ

quæ non proximè, sed mediante aliâ informatur. v. g. materia remota animalis sunt 4. elementa & materia prima &c.

XXXVI. 4. Ultimò materia ex qua alia est Productionis; alia Compositionis. Illa est, ex qua aliquid producitur. v. grat. Materia scarabæi est fimus equi &c. Hæc est, ex qua aliquid constituitur & componitur. v. g. Materia mensæ est lignum &c.

XXXVII. Et hæc de Materia. Corpus, quod ex materia producitur, dicitur aliàs Materiatum, & definitur principiatum à materia dependens. Seu: Res Materiata est, quæ constat materiâ. v. g. homo est materiatum, quia dependet ab animâ Rationali & corpore humano. Seu: quia constat animâ Rationali & corpore humano.

XXXVIII. Cæterùm eodem modo dividitur Materiatum, ut Materia; ideoque ex dictis ejus distinctiones elici poterunt: quare hîc Theses abrumpimus, & properamus ad

A X I O M A T A.

I.

XIII.

Materia est ens. Ratio, quia ipsa intrinsecè aliquid constituit, essentiamq; aliis communicat: ergò & ipsa essentiam ut habeat necesse est, cùm nemo possit alteri dare quod ipse non habet vel actu vel potentiâ. Si ergò habet essentiam est ens, cùm ens sit, quod habeat essentiam. Adde hoc absurdum: Si materia esset non-ens, tunc quando aliquid in materiam resolveretur, illud resolveretur in non-ens, & p. c. annihilaretur; & contrà si aliquid fieret ex materia, tunc fieret ex non-ente, & p. c. crearetur. Notandum tamen est, licèt concedamus Materiam ens esse: tamen non est ens perfectum & completum, qualia sunt corpora naturalia; sed ens imperfectum & incompletum, quia cum alio scilicet cum formâ partialiter unum aliquod compositum constituit.

II.

XIV.

Materia est substantia. Ratio, quia ex ipsa certum aliquid
quod

quod corpus fit & producitur: at ne infinita quidem accidentia unicam possunt efficere & producere substantiam. Distinguit tamen Aristoteles inter substantias 1. completas seu perfectas, & incompletas seu imperfectas. 2. imperfectas determinantes & determinabiles. Dicit materiam esse substantiam veram, non tamen perfectam & completam, ac si per se speciem absolueret, cum tamen cum forma id præstare queat; sed nominat eandem ~~ens~~ imperfectam & incompletam, eamq; determinabilem: formam verò determinantem. Ratio, quia forma turpitudinem materiæ scil. potentialitatem ejus informare, actuare, determinare & restringere debet.

III.

XV.

Materiam considerat Metaphysicus. Si non prout ordinatur ad formas: tamen prout à formis est soluta. Nimirum duplex est consideratio materiæ. Prima est, prout pensatur, quatenus soluta & libera est à formis: Secunda est, prout evoluitur, quatenus cum formis commixta est, aut ad minimum easdem respicit. Posterior Materiæ scrutatio in Physicis ponæriis jure meritò retinetur: prior verò illa Metaphysico soli debetur, asserente ipso Philosopho libr. 7. Metaph. text. 8. ubi describitur, quòd sit neque quid, neque quantum, neque aliquid eorum, quibus Ens determinatur, neque eorum negationes. Cum enim materia nullum planè actum, per quem concipi & cognosci queat, agnoscat, contenti esse cogimur cognitione negativâ, vel ut alii vocant, adulterinâ.

IV.

XVI.

Materia est pura potentia. Hic 1. Distingv. est inter potentiam objectivam & subjectivam seu receptivam. Materiæ negamus potentiam priorem, quia quoad esse suum in statu possibi non est: posteriorem verò lubentissimè eidem adjungimus. Ratio, quia Formæ, quam recipit, subjicitur. 2. Rectè intelligenda est ista locutio: scil. dicimus 1. Materia non ita est pura potentia, ut omnem actum Metaphysicum excludat. Hoc n. est falsum. Nam ipsa materia habet aliquam perfectionem & bonitatem transcendentalem, quod patet, quia est appetibilis & conveniens,

C

non

non solum ut medium, sed ex se, cum ratione suæ perfectionis fit
conueniens huic formæ: ergo habet aliquam propriam perfe-
ctionem ex sua natura: si habet perfectionem, habet etiam actum.
Ratio, quia nulla perfectio intelligi potest sine actualitate aliqua,
licet transcendentali. Adde, quod habeat actum subsistentiæ
partialem & proportionatum, quo ideo indiget, ut sit primum
subjectum. Ratio, quia primum subjectum substat omnibus:
prius autem est in se subsistere, quam in aliis. Vid. Suarez. tom. 1.
disp. Metaph. 13. sect. 4. Dicimus 2. Materia non ita est pura po-
tentia, quin habeat actum entitativum. Materia enim est subje-
ctum primum: at subjectum primum necessariò & essentialiter
est ipsa potentia passiva: sed non potest intelligi potentia passi-
ua realis sine aliquo actualitate entitativa. Quomodo enim
aliquid poterit esse verè & realiter receptivum alterius, nisi in
se aliquid posset esse? Dicimus 3. Materia dicitur pura potentia
respectu actus informantis seu actuantis, & actus absolutè & sim-
pliciter ita dicti. Ratio, quia Materia talis est entitas, ut per se
sola sufficiens non sit ad existendum sine actu substantiali ipsam
actuante & perficiente: unde ex vi præcisæ suæ entitatis nullum
includit actum formalem formaliter aut eminenter, sed ab alio
actuatur, ideoq; non est actus absolutè & simpliciter.

V.

XVII.

Accidentibus tribuitur materia. Scilicet analogicè & propor-
tionaliter. Nam materiam propriam quidem accidentia non
fortiuntur: nihilominus tamen cum accidentium esse sit inesse
& inhærere videlicet subjecto, analogicè subjectum illud vocatur
materia. Unde Philosophus vetuit in accidentibus aliam quæ-
rere materiam quam subjectum libr. 8. Metaph. text. 12. Incidit
hic quæstio: an subjectum illud accidentium sit interdum etiam
accidens? Ubi Dist. est inter subjectum quo & quod. Subjectum
Quod est quod principaliter sustinet accidentia; Quo verò est
medium, cuius interventu accidens cum substantia copulatur.
Hinc dicimus 1. Subjectum Quo est accidens intermedium, ad-
eoque ipsum subjectum accidentis. v. g. color hæret in substantia
mediante superficie. Aliter verò se res habet de subjecto Quod;
unde

unde dicimus 2. Subjectum Quod est ipsa substantia, & nunquam accidens, & p. c. non potest hâc ratione contingere, ut accidens sit subjectum accidentium.

MEMBRUM TERTIUM

De

F O R M A.

THESES

XX XIX. Jam ad Formam, quæ ita describitur: Forma est, quæ dat esse rei. v. g. anima rosæ dat esse rosæ, anima equi equo, anima Rationalis homini &c.

XL. Causalitas Formæ, quam definitio data exprimit, duplex est: prior respectu potentiæ seu materiæ, quam perficit, actuat & determinat; posterior respectu compositi, cui dat esse.

XLI. Et hoc est, quòd dicant Formam dare rei esse Formale, unde illud *πολυθεύλλητον* originem traxit: Positâ Formâ ponuntur tria, Essentia, Distinctio & Operatio rei, v. g. positâ animâ Rationali ponuntur tria: i. enim homo ab eadem constituitur; deinde distinguitur à brutis & plantis; & tandem etiam accipit operationes videl. intellectionem, volitionem &c.

XLII. Huc pertinet, quòd aliud sit Esse Actuale; aliud Potentiale. Actuale vicissim aliud Formale; aliud Entitativum. Illud simpliciter à forma dependet; hoc verò res ponitur extra nihilum. Potentiale iterum vel subjectivum; vel objectivum. Illo res est per modum potentiæ subjectivæ, ut Materia; hoc res esse dicitur intentionaliter, non realiter, ut Mundus ante Creationem.

XLIII. Sequuntur jam divisiones Formæ, ubi prima sese offert illa, quâ distinguitur in Intrinsecam & Extrinsecam.

XLIV. Forma Intrinseca est, quæ materiæ immersa est. v. g. forma aëris, lapidis, rosæ, canis hominis &c. Extrinseca est, idea seu exemplar, ad quod respiciens agens operatur. v. g. autographum quod oculis objicitur & ad imitandum proponitur.

XLV. Attingenda verò est hâc occasione distinctio illa, quâ Exemplar vel est Reale, vel Intentionale. Illud est, quod extra animum artificis subsistit, inque sensus incurrit. v. gr. suis exemplaribus utuntur pictores, architecti, sartores &c. Hoc est, quod solùm in mente artificis subsistit. v. g. veteranus & exercitatus architectus domum producit ad effigiam exemplaris non realis, sed intentionalis & mentalis &c.

XLVI. Intrinseca Forma iterum dividitur in Substantialem & Accidentalem. Substantialis est, quæ ipsam essentiam rei constituit, & propria accidentia, atque proprias operationes largitur. v. g. anima Rationalis hominis, anima quercûs, quercûs forma substantialis est &c. Accidentalis est externa figura in oculos incurrens. v. g. figura ædificii, mensæ &c.

XLVII. Notandum est, Formam Accidentalem (uti & Extrinsecam) valdè æquivocè dici Formam, unde etiam generaliter forma Accidentalis est, quæ rei jam constitutæ advenit, eamq; in actionibus adjuvat. Sic Philosophia forma hominis dicitur, & quantitas coeli, gravitasq; terræ forma nuncupatur.

XLVIII. Forma Substantialis subdividitur in Informantem & Assistentem. Informans est, propter quam res est id, quod est. v. g. anima rationalis est forma informans hominis, quia propter eandem est animal rationale seu homo, id est, anima Rationalis non solùm homini operationes largitur, sed etiam in suo esse eundem constituit. Assistens est, quæ enti in actu perfectò jam constituto advenit, & saltem operationes dirigit, essentiam verò non ingreditur. v. g. auriga est forma assistens currûs &c.

XLIX. Informans porrò subdividitur dupliciter: 1. in Genericam & Specificam; 2. in Separabilem & Inseparabilem.

L. Generica est, quæ actum imperfectum materiæ largitur, adeoq; speciem ultimam non constituit. Sic hominis formæ genericæ sunt formæ quatuor elementorum, nec non forma mixti.

LI. Specifica est, quæ actum perfectum materiæ largitur, adeoq; speciem ultimam constituit. Unde huic formæ duplicem actum Philosophi adscripserunt: scilicet 1. actum essentiæ, quo res dicitur esse species. 2. actum existentiae, quo res existit

seu individuum. Sic Anima Rationalis, quæ sola est forma (hominis) specifica, facit ut homo sit & ut sit hic homo.

LII. Forma separabilis est, quæ sublatâ materiâ existit. Hæc est sola Anima Rationalis, quæ etiam sublatâ materiâ seu subiecto, nimirum corpore humano existit. Inseparabilis est, quæ sublatâ materiâ ipsa quoque tollitur. Hæc sunt omnes reliquæ formæ infra hominem.

LIII. Dividitur 2. Forma in genere in Naturalem & Artificialem. Naturalis est à natura; Artificialis verò ab arte. v. gr. forma mensæ, domûs, poculi &c.

LIV. Corpus quod per formam producitur, dicitur Formatum & definitur principiatum à forma dependens. Seu: Res Formata est, quæ constat Formâ. v. g. animâ Rationali constat homo, cælum constat suâ formâ &c.

LV. Cæterùm divisiones & subdivisiones Formatæ facillè intelliguntur ex dictis de Formæ divisionibus, unde verbum amplius non addimus, sed more consueto propinamus.

AXIOMATA.

I.

XVIII.

Forma dat esse rei. Scil. non effectivè, non subsistenti-
ter: sed Formaliter. Hoc est, Forma non ita rei dat esse, quomodo Pater dat esse Filio, aut sutor calceo, vel Deus dedit Mundo; nec etiam ita, sicut materia dat esse formæ tanquam subiectum cui innititur, & in quo subsistit, aut corpus equi animæ equi esse dat: sed Formaliter, ita ut Forma rei largiatur essentiam & existentiam, illamq; ad certam entis speciem restringat, atque ab omnibus distinguat.

II.

XIX.

Forma informat materiam. Ita enim argumentamur ab absurdo:

Si forma Materiam non informaret, sequeretur quòd nec compositum informaret, seu quòd composito det esse.

Sed posterius non est.

Ergò nec prius.

C 3

Conne-

Connexio Majoris patet, quia in toto essentiali saltem sunt materia & forma: ergò aut informabit materiam, & sic habemus quod volumus; aut seipsam, quod absurdum. Nihilominus tamen quidam ficulneis argumentis sententiam hanc labefactare annituntur, ex quibus & tale producant:

Id est causatum formæ, quod est aliarum causarum causatum.

Sed commune aliarum causarum causatum non est materia.

Ergò nec forma est formalis causa materiæ.

Verùm Responsio est facilis, si modò Distinguas inter causatum adæquatum seu commune, & particulare seu inadæquatum. Major si intelligatur de causato communi & adæquato, ad quod scilicet constituendum omnes suas operas omnes causæ pro suâ efficaciâ & virtute afferunt, conceditur; sin verò capitur de causato inadæquato & particulari, ubi quævis causa suum habet causatum, negatur. Et sic commune causatum formæ est se intrinsecè communicare composito; speciale & particulare, materiam actuare & informare.

III.

XX.

Causalitates formæ non sunt simul. Ratio, quia Actuatio & perfectio materiæ præcedit, & hanc demum sequitur altera causalitas, scilicet compositi existentia, & quæ hanc sequuntur distinctio & operatio. Sed probè Distinguenda est prioritas Naturæ & Temporis. De illa valet Canon; non de hac. Nam tempore hæ duæ causalitates non distinguuntur. Una enim actio sive actuatio est, quæ simul & ad materiam & ad compositum refertur, quemadmodum per receptionem formæ materia & ad formam & ad compositum ordinabatur, uti inquit Reverend. & Excellentiss. Philosopho - Theologus Dn. Jacob. Martini libr. 1. Exerc. Metaph. 3 theor. 4.

IV.

XXI.

Positâ formâ ponitur formatum. Et hic Canon suis gaudet limitationibus atque restrictionibus: ideò Distingv. est 1. inter formas consideratas in entitate absolutâ & in respectiva. 2. inter

inter

inter formas Materiales & Imateriales. Hinc dicendum est
1. Positâ quâcunq; formâ in entitate respectivâ, seu quatenus
actu forma est, forma tum ponitur. v.g. anima Rationalis, prout
actu informat corpus humanum, ponit hominem. 2. Positâ for-
mâ Imateriali in entitate absolutâ non statim ponitur forma-
tum. v.g. post mortem hominis ponitur forma ejusdem nempe
anima rationalis; nec tamen ipse homo.

V. XXII.

Forma est indivisibilis. Habet hoc Axioma Aristoteles 8.
libr. Metaph. cap. 3. illudq; declarat ab exemplo numerorum.
Dicit: quemadmodum de numero, ablato aut addito aliquo ex
quibus numerus est, non est ampliùs idem numerus, sed diver-
sus, etiam si minimum auferatur aut addatur: ita nec definitio,
nec ipsum quid erat esse (forma) erit ampliùs, ablato aliquo, aut
addito. Hæc ille. Verùm & hoc axioma simpliciter non pro-
cedit, sed si intelligatur quoad essentiam, limitatione non indi-
get, cùm forma sit actus simplex & substantia: per accidens ta-
men in materia; cum qua uniuntur, divisibiles fieri formas Expe-
rientia testatur. Sic cùm lapis frangitur in duas, tres aut plures
partes, etiam formæ simul dividuntur: & cùm arbor disseccatur,
restat vita, adeoq; forma anima scil. in parte utraq;. Dist. insuper
est inter divisibilitatem speciei & extensionis. Forma est indivi-
sibilis ratione speciei, est tamen divisibilis quoad extensionem,
ut iterum Experientia comprobât in insectis, plantis & cæteris
formis simplicibus. Si verò quærat: An formæ recipiant ma-
gis & minus? Illud cum dextrè Philosophantibus constanter ne-
gamus, cùm intensio & remissio respiciat qualitatem: at forma
substantia est.

VI. XXIII.

Dans formam dat consequentia formæ. Si non conse-
quentia accidentalia: tamen essentialia; si non destructiva: ta-
men salvativa; si non formaliter: tamen virtualiter. Nimirum
non valet 1. Pater dat Filio liberum arbitrium: Ergò etiam fur-
tum, adulterium &c. Ratio, quia furtum, adulterium &c. non
sunt consequentia libertatis essentialia, sed accidentalia & po-
tius ἀταξία & depravationes liberæ voluntatis. Non valet 2.
Deus

Deus dat voluntatem: Ergò etiam peccatum. Ratio, quia peccatum non est accidens salvativum, sed destructivum: ideoque Deus & Natura nunquam intendunt destructionem & p. c. peccatum tanquam consequens voluntatis non dant. Non valet 3. Deus dedit homini perfectiones: Ergò eidem etiam immediatè dedit scientiam & sapientiam. Ratio, quia Deus non dedit sapientiam & scientiam formaliter; sed virtualiter & mediatè, quando creavit formam intellectivam, quâ mediante postmodum sapientiam & scientiam acquirimus.

VII.

XXIV.

Forma eadem est causa Formalis, Efficiens & Finalis. Scilicet Formæ omnia quatuor causarum genera attribuuntur exceptâ solâ materiâ. Ratio, quia hæc sola est principium passivum omnimodò. Sic diverso respectu & κατὰ τὴν hæc causa dicitur forma in ordine ad compositum, efficiens in respectu ad operationes, & finis denique ratione generantis. v. g. anima Rationalis est forma in ordine ad hominem, efficiens in respectu ad intellectum, volitionem &c. Finis ratione generantis.

MEMBRUM QUARTUM

De

EFFICIENTE.

THESIS

LVI. Et hæctenus Causæ Internæ: ordo jam nos ad Externas protrudit, quarum duæ, nempe Efficiens & Finis. De illa membro præsentis; de hæc sequente & ultimo.

LVII. Definitur, ergò Efficiens primum principium externum, à quo fit actio.

LVIII. Dicitur i. principium primum: respicimus enim ad potissimum analogatum, nempe ad efficiens primum & principale; non verò secundarium & instrumentale, à quo etiam actio fit, sed non primò. v. g. principium scriptionis etiam est à penna, sed non primò, verum ab illo qui pennam moderatur.

LIX. Di-

LIX. Dicitur 2. principium externum: ad excludendam materiam, quæ etiam est principium mutationis vel actionis in recipiendo. Materia enim est principium intrinsecum, dum actionem in se intrinsecè recipit & sustentat; efficiens verò est principium extrinsecum, quia ab illo actio solum manat & pendet: quæ habitudo declaratur per particulam unde vel a quo, cum contrà materiæ conveniat propriè particula Ex qua.

LX. Dicitur 3. à quo: ut excludatur Finis. Licet enim Finis sit principium extrinsecum & prius efficiente in causando: tamen sciendum est, influxum finis non est realem, sed metaphoricum, ideoq; licet finis ratione intentionis prior sit, tamen ratione executionis ultimus existat. Namq; Finis est causa propter quam vel in quam tendit actio, non tamen est principium à quo vel unde procedit actio, quod soli efficienti propriè competit.

LXI. Dicitur 4. actio: hæc voculâ indicatur causalitas Efficientis, quæ re fertur & ordinatur vel ad Materiam vel ad Compositum. Illam præparat, disponit & ad formam recipiendam aptam & idoneam facit; Hoc producit efficiens.

LXII. Aristoteles, quando de finivit Efficientem causam, posuit pro vocabulo Actionis vocabulum Mutationis, verum insufficienter. Non enim omnis efficiens agit cum mutatione & motu, sed etiam quædam agit sine motu & simplici actione. v. g. Deus creavit cælum & terram sine motu, homo intelligit, vult &c. sine motu.

LXIII. Ut ergò de scriptio, prout requirunt leges definitionis, comprehendat causas omnes efficientes, sive agunt in materiam & cum mutatione; sive ex nihilo sine materia aliquid producant: substituerunt vocabulum actionis.

LXIV. Trahitur tamen ad bonum sensum definitio Aristotelica, quando Aristotelem de causis notioribus & communioribus quæ effecta sua per motum producant, locutum fuisse asserimus. Certissimum enim est, quòd creationem

D

Aristo-

Aristoteles vel ignoraverit, vel non crediderit, dicente Adm.
Rev. & Excell. D.D. Jac. Mart. d. l. th. 5.

LXV. Ut verò causalitas Efficientis rectè perficiatur, necessariae sunt conditiones tres: 1. ut agens à patiente differat. Ratio quia nihil agit in seipsum. Et licet in actione immanente differat non nisi secundum diversas potentias: tamen in actione transeunte semper realiter differt. 2. ut agens patiens tangat, & patiens sit intra sphaeram activitatis, ab eoq; tangatur, si non semper corporaliter: tamen virtualiter. 3. ut agens patienti sit contrarium, licet non per se: tamen per accidens. Exemplum sit sol ceram liquefaciens: agit ille reverè in ceram, ergò differt à cera (realiter) ergò tangit ceram (virtualiter) ergò contrariatur ceræ.

LXVI. Pandit se hic campus latissimus distinctionum, earumq; & jucundissimarum & utilissimarum, quas tamen breviter & velut uno verbo saltem lubet attingere.

LXVII. 1. Efficiens alia est Principalis; alia Instrumentalis. Illa est, à qua primario dependet effectus, quæque in producendo effectû prædominatur. v.g. anima causa principalis est cõcoctionis &c. Hæc est quæ in agendo cooperatur, principaliq; ad effectum producendum inservit. v.g. calor ventriculi est causa instrumentalis cõcoctionis &c.

LXVIII. Multa quidem hic dicenda forent de instrumento: sed saltem quasdam distinctiones ex illo profluentes propinabimus, & quidem per exempla tantum, ne pagellarum numerus nimis ex crescat.

LXIX. Dividitur ergò instrumentum 1. in Naturale & Artificiale. Illius exemplum est manus in ordine ad corpus; hujus penna respectu scribæ. 2. In Corporeum & Incorporeum. Illius est canes in ordine ad venationem; hujus Logica respectu Philosophiæ. 3. in Necessarium & non Necessarium. Illius exemplum est verbum Dei & Ministri Ecclesiæ in ordine ad conversionem nostram; hujus equi ad perficiendum iter. Illud rursus subdividitur in Necessarium simpliciter & secundum quid. Illius exemplum sunt pedes ad cursum; hujus boni Præceptores, Autores &c. ad eruditionem.

LXX. Cau

LXX. Causa Efficiens 2. alia est Naturalis; alia Voluntaria. Illa propriâ & naturali virtute absq; deliberatione effectûs causa est. v.g. Sol lucet, canis latrat &c. Hæc cum deliberatione effectum producit. v.g. Deus liberè creat, artifex liberè artificium producit &c.

LXXI. Cùm verò libertas causæ voluntariæ sit inæqualis, rursus subdividunt eandem in merè liberam & liberam secundum quid. Illa pleno appetitu effectum vult & producit. v.g. Deus liberrimè Mundum creavit, pii liberè frequentant Conciones &c. Hæc effectum quidem vult & producit etiam, sed non sine tristi appetitu. v.g. ægrotus partem putridam rescindendam permittit chirurgo, ne pars sincera trahatur, juxta Ovidium.

LXXII. 3. Porrò Efficiens alia agit per transmutationem; alia per simplicem emanationem. Transmutativa agit in objectum à seipso distinctum & effectum extra se producit. v.g. sartor agit in pannum & producit vestem &c. Emanativa non agit in objectum à se distinctum, sed effectum à se sine transmutatione dimanantem producit. v.g. anima rationalis est causa emanativa intellectûs, risibilitatis &c.

LXXIII. 4. Efficiens dividitur in solitariam seu totalem & sociam seu Partialem & Conjunctam. Illam vocamus, quæ sola sufficit ad causandum effectum, nec alterius operæ & virtutem efflagitat. v.g. Deus est causa solitaria mundi &c. Hanc dicimus, quæ similis alicujus causæ concursum requirit, cumq; ea mutuas in causando effectum operas navat. v.g. mas & foemina in generatione hominis &c.

LXXIV. Huc referri potest distinctio illa, quâ Causæ aliæ sunt ejusdem ordinis seu Coordinatæ; aliæ diversorum seu subordinatæ. Illas definiunt, quæ habent eandem ad effectum operationem, sive id contingat secundum propinquitatem aut distantiam sive secundum agendi vim sic quarum quælibet est remota, quælibet proxima &c. dicuntur causæ ejusdem ordinis. Has describunt, quarum una est remota altera proxima, una principalis, altera instrumentalis & sic consequenter.

LXXV. 5. Dividitur in causam Formalem seu Univocam, & virtuales seu Æquivocam. Illa effectum ejusdem speciei & naturæ per formam suam producit. v. g. homo est causa Univoca hominis. Hæc effectum alterius speciei & naturæ per virtutem suam producit. v. g. Deus est causa æquivoca mundi.

LXXVI. 6. Causa Efficiens vel est Positiva; vel Privativa. Illa realiter & positivè influit in effectum. v. g. tutor reverà agit in corium, faber lignarius positivè influit in lignum &c. Hæc realiter in effectum non influit. v. g. defectus in organo est causa claudicationis &c.

LXXVII. 7. Efficiens vel est Physica seu Realis; vel Moralis. Illa verè in effectum influit. v. g. qui actu proximum intercidit, causa est homicidii &c. Hæc verè in effectum non influit, ita tamen se gerit, ut ei imputetur effectus. v. g. David est causa Moralis necis Uriæ &c.

LXXVIII. 8. Distinguitur Efficiens in Præparantem, Adjuvantem & Perficientem, Ista materiam disponit, aptamq; ad recipiendum reddit. v. g. causa præparans in generatione hominis est calor utriusq; seminis &c. Illa sola quidem nihil agit, ad agendum tamen multum adjumenti adfert. v. g. causa adjuvans in generatione hominis est calor uteri &c. Hæc ultimam perfectionem largitur, ultimamq; formam introducit, unde & αἴτιον & κύριον αἴτιον vocatur. v. g. causa perficiens in generatione hominis est vis πλαστική.

LXXIX. 9. Insignis & maximè utilis etiam est distinctio, quâ Efficiens alia agit inmediate suppositi; alia inmediate virtutis. Illa est, inter quam & subiectum nullum aliud interjectum est suppositum seu ὑψίστη μόνον. v. g. aqua abluens manum, refrigerando in manum agit inmediate suppositi. Hæc per propriam virtutem agit. v. g. Sol calescit aerem inmediate virtutis, scilicet per radios.

LXXX. Opponitur verò Causæ agenti inmediate suppositi, illa quæ agit inmediate suppositi. v. g. faber lignarius agit in lignum mediante securi; Causæ autem agenti inmediate

ti iu-

si immediatione virtutis, opponitur illa quæ agit mediatione virtutis. v. g. suprema aeris regio illuminat infimam, non per proprium lumen, sed quia lumen à sole communicatum ad infimam demittit. Definitiones ergò harum colliguntur ex oppositis, videl. ex th. præced.

LXXXI. Corpus quod ab efficiente producitur, dicitur Effectum & definitur principiatum ab Efficiente dependens, seu: Res Effecta est, quæ Efficiente constat. v. g. Cælum est effectum, quia à Deo dependet, seu: quia in prima Creatione à Deo esse accepit.

AXIOMATA.

I.

XXV.

Causæ secundæ reverà aliquid agunt. Ut Axiomatis hujus sensus rectè pateat, constituemus duas Conclusiones, quibus opiniones falsæ hoc Axioma evertentes diluamus. Dicimus ergò 1. Causis secundis tum voluntariis quàm naturalibus omnem detrahere activitatem, eamq; soli Deo ascribere, absurdissimum est. Nam 1. quoad res voluntarias: Si actiones liberæ non sunt à nostro arbitrio, jam nulla amplius restabit libera voluntas. 2. quoad naturales: sentimus & videmus res naturales per formas ingenitas suos producere effectus. v. g. videmus solem illuminare, ignem calefacere, aquam frige facere, & sic con sequenter: at sensus circa proprium objectum non errant. Adde si Deus saltem agit ad præsentiam rerum naturalium sequeretur, quòd æquè naturaliter posset refrigerare ad præsentiam ignis quàm aquæ, cum ab illa actione non magis possimus argumentari ad frigiditatem aquæ quàm ad ignis. Sed regetur ad hoc: Ignis ideò calefacit, quia Deus pepigit in prima Creatione ad illius præsentiam, non verò ad præsentiam aquæ calefacturum esse, non verò ideò, quod calor ab ipso dimanet. Verum cum de hoc pacto nihil constet, illud fictitium & inane jure reputatur. 2. Pactum illud vel est rebus aliquid intrinsecum, vel extrinsecum. Si

D 3

hoc,

hoc, ignis non erit intrinsecè calefactivus, nec aqua internè frigefactiva; nec illæ propositiones: ignis calefacit, & aqua frigefacit &c. per se erunt. Ratio, quia prædicatum non convenit subjecto ratione alicujus intrinseci principii, sed extrinsecæ virtutis. Sin illud, res aliquid agent, cùm habeant vim internam ad agendum sufficientem. Dicimus. 2. substantiæ materiales habent efficientiam non solum ad accidentia, sed etiam substantias; quæ tamen nunquam producuntur à substantiis immaterialibus. Patet & quidem primum (quod substantiæ materiales etiam producant substantias) ex generatione, ubi homo hominem, leo leonem, herba herbam generat, arboresq; suos fructus, & ignis ignem producit: quæ omninò sunt substantiæ, & sine substantiali generatione produci nequeunt. Secundum non est dubium, quia omnis substantia producitur vel secundum creationem, vel secundum generationem. Sed cùm Intelligentiæ destituantur virtute infinitâ, substantias non creant, nec etiam geuerant, quia illis deest semen, ut alibi demonstratur. Et tantum de hoc axioma.

II.

XXVI.

Præter Concursum causarum Universalium secundarum etiam datur concursus causæ universalis primæ in operationibus rerum naturalium. Ratio, quia causæ particulares in suo conservari dependent ab influxu primæ causæ conservativo: ergo etiam in operari, cum modus operandi sequatur modum essendi. Cùm verò Causa Efficiens alia agat immediate virtutis; alia suppositi, non inscitè quæri potest: an Deus concurrat etiam immediate suppositi? Id quod affirmandum est simpliciter. Si enim Causa Prima immediate omnia conservat, immediate etiam omnia attingit. Sed prius est. E. & posterius. Antecedens patet, quia si per aliam virtutem aut alias creaturas omnia conservaret, per quam virtutem conservaret illam virtutem & illas creaturas? Æquè enim indigent concursu divino, ac res aliz. 2. Si prima Causa
saltem

saltem immediatione virtutis concurreret, tūm virtus illa
vel esset Creata seu Dependens; vel Increata seu Independens:
tertium non datur. Nulla, est ipsarum causarum secunda-
rum virtus, atque sic saltem remotè DEUS concurrit; sin hæc
habemus quod volumus. Ratio, quia virtus divina datur non
nisi in supposito divino.

III.

XXVII.

Causa causæ est etiam causa causati. Canonem hunc qui-
dam pessimè usurpant; sic enim argumentantur:

Quicumq; est causa causæ, etiam est causa causati.

DEUS est causa hominis, & homo peccati.

Ergò DEUS etiam est causa peccati.

Pessimè, dico. Peccatum enim ab homine committitur
saltem accidentaliter, unde Deo nullo modo subordinatur:
Sed prædictus Canon postulat Causas essentialiter & per se
subordinatas, ita ut altera ab altera in causando dependeat
non quodammodo, sed naturâ suâ, unde rectè colligo: Paren-
tes sunt causæ formæ humanæ in filio: Ergò etiam causæ sunt
ratiocinandi, intelligendi, volendi &c. Ratio, quia potentie
hæc formam humanam ex se & per se naturâque essentialiter
concomitantur.

IV.

XXVIII.

Causa secunda non agit nisi mota à prima. Et hic Ca-
non suis gaudet limitationibus: Dist. enim est inter 1. agen-
tia libera & naturalia. 2. actionem & à natura adherentem.
Hinc dicendum est 1. Causa secunda naturalis non agit nisi
mota à prima. Ratio, quia præter concursum secundarū causa-
rū in operationibus naturalibus e. requiritur concursus causæ
primæ, quo sublato omnia ruerent in nihilum, unde illud: o-
pus Naturæ est opus Intelligentiæ non errantis, id est, Dei. 2.
Causa libera itidem non agit nisi à prima causa mota. Ratio,
quæ ut illa ab hac dependet in esse, ita & in operari. 3. Causa
secunda non agit nisi mota à prima in actionibus naturalibus
sine participatione adherentis deformitatis. Ratio, quia
actio naturalis de se mala non est, sed bona: ergò perficitur
ca Dei.

ea Dei concursu immediato, ita ut una numero actio sit, & à prima & à secunde causa quæ proficiscitur. Quia verò adheret quædam *ἀναξία* & depravatio actionis seu *ἀνομία*, quæ actionem malam determinat, ideò ista depravatio concursu Dei non perficitur, sed peccatori debetur. Unde illud: Voluntas hominis est principium novum & independens.

V. XXIX.

Res corporea & naturalis non est causa efficiens effectus spiritualis. Sciendum ad hoc Axioma est 1. Efficientem dici vel Physicè & realiter, vel moraliter: quid utraque sit ex th. 77. novimus. 2. agit Efficiens vel ut principalis vel ut instrumentalis causa; & quid hæ sint, docemus in th. 67. 3. agit aliquid vel in virtute propria vel in virtute aliena. Sic in virtute substantiæ agit accidens, quando dicitur principium substantiæ producendæ. 4. Agit aliquid vel ex se per concursum naturalem, vel per accidens ob ordinationem causæ primariæ, à qua ad effectum producendum assumitur. Hinc concluditur 1. Nulla causa virtute propriâ concursu naturali ac per se edit effectum superiorem, nobiliorem & toto genere excellentiorem, id est, spiritualem. Ratio, quia alias agens per virtutem naturalem ageret supra virtutem naturalem, quod absurdum. Effectus autem spiritualis toto genere excedit virtutem rei naturalis, cum exinde dicatur spiritualis & divinus, quod à superiore quodam principio dependeat. Concluditur 2. Res corporea est causa effectus spiritualis minus principaliter, in virtute causæ primariæ & per ordinationem Creatoris, [ut] vi divini dispositionis efficaciter ad effectum illa concurrat. Probatur hac Conclusio argumento isto:

Quicumque effectus non involvit repugnantiam, nec rei corporeæ essentiam evertit, ille instrumentaliter per directionem causæ primariæ à re corporea produci potest.

At effectus spiritualis non involvit repugnantiam, nec rei corporeæ essentiam evertit.

Ergo.

Miner

Minor probatur, quia non implicat, quando dico: Res corporea operatur spiritualiter, est causa conversionis &c. 2. etiam in naturalibus procedit, ut instrumentum à causa principali ad effectum superiorem producendum elevetur. Sic accidens producit substantiam per modum instrumenti ab agente adhibiti. Si hoc: ergò multò magis procedet id in divinis, ut causa prima possit rem materiata[m] elevare ad effectum spirituale[m] tanquam instrumentum.

VI. XXX.

Causa Efficiens potest contrarios effectus producere. Si non Naturalis: tamen Libera. Sic inquit Aristoteles: Proprium rationalium potentiarum est, posse in opposita; declarat etiam illud exemplo Medici, ubi tres enunciat modos, quibus homines contrarios effectus producere contingit. Medicus enim potest eadem Medicinæ arte personam quandam nunc sanare, postmodum interficere; vel in eodem instanti eam vel sanare vel interficere; vel in eodem instanti sanare hanc, interficere illam. Aliter se res habet de naturalibus, ubi tamen iterum dist. est inter contrarietatem propriam seu propriam; & laxam. De hac ad huc Canonem recipimus, cum id Experientia comprobet. Sic sol tanquam causa æquivoca producit cum homine hominem, cum leone leonem &c. & idem sol modò lutum indurat, modò ceram liquefacit &c. Contrarietate verò propria causa naturalis contrarios effectus non producit, quod in omnibus causarum generibus patet: sed breviter de Causa Efficiente probasse hic sufficiat. Constat ergò, quia ea saltem ad unum determinata est. v.g. ignis non potest efficere frigiditatem & humiditatem, sed tantum determinata est ad caliditatem & siccitatem &c.

E MEM-

MEMBRUM QUINTUM

De

FINIS.

THESIS

LXXXII. Pleno cursu jam properamus ad Finem, ut-
pote in cujus theoria $\sigma\omega\upsilon\ \theta\epsilon\omega$ nostrum finemum laborem,
tandemq; plaudemus:

LXXXIII. Cum verò & Finis sit nomen $\pi\omicron\lambda\upsilon\sigma\eta\mu\omicron\nu$. ab
æquivocatione ille erit vindicandus. Non ergò Finis sumi-
tur 1. pro Fine Privationis, quo pacto Mors dicitur Finis
juxta illud.

Mors est ultima linea rerum.
2. pro fine Terminationis, sicut puncta dicuntur Finis lineæ.
3. pro fine Consumptionis, quomodo ultima perticula rei ab-
sumptæ dicitur finis ejusdem, sed 4. propriè pro fine Intentio-
nis, quem agens principaliter intendit.

LXXXIV. In hac ultima acceptione definitur ab
Aristotele: Finis est, cujus gratiâ res est, v. g. Finis Rhetoris
est persuasio, Logici veritas, Theologi conversio hominum
&c. Notandum tamen, exempla hæc omnia loqui de fine ex-
terno, ut infra pateſcer.

LXXXV. Causalitas Finis, ut omnium causarum,
duplex est: altera enim respicit efficientem, altera verò
media.

LXXXVI. Illa est, quod finis efficientem ad agen-
dum moveret & ad effectum producendum allicit, non motu
evidenti; sed Metaphorico, quia injicit illi desiderium amo-
vemq; sui sub ratione boni seu veri seu apparentis. v.g. studio,
si finis est eruditio, qui moveret eum ut litteras tractet.

LXXXVII. Hæc posterior Causalitas est, quòd fi-
nis mediis bonitatem & amabilitatem conciliat. Multa enim
ex se non amarentur & appeterentur: quæ tamen, quatenus
ad fi-

ad finem conferunt, amantur & appetuntur. Sic eruditio conciliat mediis ad eruditionem scil. meditationibus, exercitationibus &c. amabilitatem : & potio amara per se non amatur, sed quatenus ad sanitatem confert, appetitur.

LXXXVIII. Hoc ergo finis peculiare habet, ut actu causet, cum tamen actu non sit. Sufficit enim, ut tum in mente agentis per cognitionem, tum in inclinatione rerum contineatur.

LXXXIX. Causat verò Finis non per esse objectivum & intentionale in mente ; sed per esse reale extra mentem. Ratio, quia realiter movet. Quando enim boni alicujus desiderio capimur, illud tam fortiter movet, ut nos coercere aut cohibere haut queamus. Cum ergo motio ejus non sit imaginaria, sequitur quod etiam realiter causet. Imò finis presentia appetitum replet, quod certè fini secundum esse objectivum non convenire potest.

XC. Haecenus de essentia Finis : consequens est de divisionibus quam brevissimè agere, 1. Dividitur in Principalem & Secundarium. Ille primario intenditur, & ad ejus acquisitionem omnia suscipiuntur. Talis est sola Dei gloria. Hic propter principalem intenditur, & ad eum acquirendum appetitur. v. g. Finis secundarius studiorum est eruditio & salus Ecclesiae, Patriae, Parentum & Amicorum &c.

XCI. 2. Dividitur in Ultimam & subordinatam. Ille est, in quo actio agentis ultimò terminatur. Et talis iterum est gloria Dei. Hic est, in quo nondum quiescit agens, sed ulterius progreditur. v. g. libros emere, lectiones audire &c. sunt finis studiorum secundarius.

XCII. Possent hinc cuidam oboriri dubium non exiguum, quòd hæ duæ distinctiones sint ferè unum & idem, uti etiam exempla allata demonstrare videntur : ubi dicendum est, differre has duas divisiones eò, quòd prior respiciat intentionem agentis; posterior verò determinationem illius.

XCIII. 3. Finis alius est \bar{g} cujus; alius \bar{o} , cui. Ille est, cujus acquirendi gratiâ agens movetur. v. g. finis \bar{g} Medicinæ

cinæ est sanitas, artis sartoria vestis &c. Hic est, in cuius gratiam finis & expetitur. v.g. finis & Medicinæ est agrotus, artis sartoria munitio corporis Petri &c.

XCV. 4. Finis etiam alius dicitur, qui ab agente producitur; alius qui eundem præcedit. Ille fit per actionem agentis. v.g. finis architectonicæ est domus, artis sartoria calceus &c. Hic existit ante actionem agentis, eamq; movet non ut se producat, sed ut se sibi jungat. Talis finis omnium rerum est Deus, avari pecunia &c. Coincidit cum hac divisione illa, quâ Finis alius dicitur Feri; alius Obtineri.

XCV. 5. Saccelebris & usitata est divisio Finis in Internum & Externum. Ille definitur, qui in ipsa arte aut ijs disciplinis, quæ proximè ad naturam artium accedunt, habetur, semperq; ab arte acquiritur. v.g. Finis internus Logici est Syllogismus seu discursus. Hic describitur, qui non semper in manu & arbitrio artis & artificis est, sed abesse potest artis essentiâ & operatione illâ. v.g. Finis externus Logicæ est veritas &c.

XCVI. Illud quod ad finem producitur, dicitur Finitum & definitur principiatum dependens à Fine. H. e. Res finita est, quæ fine determinatur. v.g. Cælum est finitum, quia creatum est ad salutem rerum sublunarium.

AXIOMATA.

I.

XXXI.

Finis omnis debet esse cognitus. Ratio, quia motio finis in naturali censione & *συμπληρωσι* intellectus & voluntatis fundamen sortitur. Dubium tamen movere possunt brutaplantæ & reliquæ formæ inanimatæ, quas propter Finem agere certum est, nec tamen finem cognoscere. Sciendum itaq; est, quòd modus cognoscendi alius sit supremus seu perfectissimus; alius Medius; alius Infimus. Supremus seu perfectissimus est, quo cognoscitur Finis non modò sub ratione boni, sed etiam habitudo mediorum ad illum consequendū perspicitur. Talis est in homine, v.g. in studioso, qui deliberat, quomo-

quomodo eruditionem seu scopum præfixum acquirat & attingat, quorum indigeat &c. Medius est, quo finis cognoscitur sub ratione boni, cognitione sensibili, sed non cognitio mediis. Talis datur in brutis. v. g. in cane, qui oblatum panem sine deliberatione & electione arripit. Infimus tandem est, quo cognoscitur Finis sub ratione boni, cognitione non propriâ, sed alienâ, sibi tamen attributâ, in quantum per illam ad finem ordinatur. Talis datur in plantis, cæterisque rebus inanimatis, quæ non tam dicuntur agere propter finem, quàm dirigi in finem à superiore agente. Unde dixerunt: opus Naturæ est opus Intelligentiæ non errantis, id est, Dei.

II. XXXII.

Finis est causa Efficientis, & Efficiens Causa Finis. Duobus hisce dictis ne contradictio in esse videatur, Distingv. est inter causalitatem Efficientis, & inter esse ejusdem: & vicissim inter causalitatem Finis, ejusque esse. Unde dicitur 1. Finis est Causa Efficientis, si non quoad esse: tamen quoad Causalitatem. Ratio, quia Causalitas Efficientis est actio: at hæc à Fine prius movetur, cum Efficiens semper alicujus gratiâ efficiat & operetur. 2. Efficiens est Causa Finis, si non quoad causalitatem: tamen quoad ejus esse. Ratio, quia causalitas Finis prævenit causalitatem Efficientis: ergò hic non potest esse causa illius causalitatis.

III. XXXIII.

Qui vult Finem, vult etiam media ad Finem ducentia. Canonis hujus abusum sæpissimè deprehendunt Theologi, quando adversarii ita sophisticantur:

Qui vult Finem, vult etiam media ad Finem.

Deus vult finem peccatorum scil. punitionem impiorum.

E. etiam vult peccata ipsa.

Unde Distingvunt inter medium per se & per accidens, seu inter medium $\Phi\acute{o}\sigma\delta$ & $\theta\acute{\epsilon}\sigma\delta$, sicque limitant Majorem: Quicumque vult Finem, vult etiam media per se & suâ naturâ ad finem ducentia. Jam peccatum non est medium per se & suâ naturâ, sed $\theta\acute{\epsilon}\sigma\delta$ & per accidens, quatenus facit ad punitionem impiorum. Hanc igitur peccati

peccati determinationem Deus vult, non verò ipsum peccatum, quia finis iste utilis non est ascribendus peccato, sed determinationi peccati. Deinde Canonem etiam ita intelligimus: Quicumque vult Finem, vult etiam media de jure, licet non de facto. Sic agrotus vult sanitatem, respuit tamen nonnunquam potionem amaram: interim tamen de jure debet etiam velle illud medium.

IV. XXXIV.

Finis est rei perfectio. Ratio, quia consecuto & acquisito fine jam ratio causandi cessat, cum Finis terminet actionem. Notandum verò est, hæc procedere de fine ultimo: scilicet hoc adeptus habet agens quod vult, unde in eo appetitus & actio agentis finitur & terminatur. Et hoc monendum est, Finem dici perfectionem non intrinsecam, quia aliàs confunderetur cum formâ; sed extrinsecam, quia externè causat.

V. XXXV.

Propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale. Scilicet 1. prædicatum quod alicui propter causam convenire dicitur, etiam causæ formaliter competat. 2. prædicatum magis & minus recipiat. 3. prædicatum numero diversum sit respectu utriusque. 4. prædicatum ita competat causæ, ut pertineat ad ipsum influxum causæ in effectum. 5. id propter quod prædicatum alicui convenit, sit causa illius prædicati secundum totum, & non solum ex parte. Sed de his alibi fusiùs: nos appendimus.

COROLLARIA.

I.

L O G I C A.

1. *An hæc prædicatio: Ens, quatenus Ens, est subiectum Metaphysicæ: sit universalis, an particularis, an indefinita, an verò singularis? Resp. Nec est universalis, nec particularis, nec singularis: Indefinita dici potest, scilicet non-*
distrib-

distributiva. Non enim potest distribui in Universalem vel particularem. Ratio, quia subjectum Metaphysica supponit, non personaliter, sed simpliciter.

2. An vera sit haec praedicatio: Omne Ens est subjectum Metaphysicae? Neg. Ob eandem rationem, cum alias tot essent subjecta Metaphysica, quot entia & p. c. etiam tot disciplinae.

II.

PNEUMATICA.

1. Quomodo attributa Dei differant à se invicem? Resp. Ratione ratiocinatâ.

2. Quomodo Angeli loquantur? Resp. Per manifestationem conceptuum.

3. Quisnam sit status Anima separata? Resp. Præternaturalis & imperfectus.

SOLI DEO GLORIA.



...
...
...
...
...
...

II
PNEUMATICA

...
...
...
...
...

SOLI DEO GLORIA



05 A 1459

ULB Halle 3
003 777 847



5b

VD17







THEORIA METAPHYSICA
Causæ & Causati,

Quam
JUVANTE SUMMA SAPIENTIA
In Illustri Academia VVittebergensi

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi atq; Excellentissimi


Dn. M. JOHANNIS SCHARFII
Logicæ ac Metaphys. Professoris celeberrimi, Præceptoris, Promotoris atque Fautoris sui omni observantiæ cultu prosequendi,

Publicè discutiendam proponit

BALTHASAR MEISNERUS
WITTEBERGENSIS,

Ad diem 17. Martii horis antemerid.

In Auditorio Majori.



VVITTEBERGÆ
Typis AMBROSII ROTHl Acad. Typogr.
ANNO M DC XXXI.

